

Biblioteca  
ASTRA, Sibiu

P.C.N.

0512

SN 2080

B

546

J. Bennett & Jeanes Provincial  
Bavaria Alumines.

✓ 1108

e

THESES THEOLOGICÆ  
DE MINISTRO  
**SS. EUCHARISTIÆ**  
**DISPENSANDÆ,**

*Ad*  
MENTEM DOCTORIS SUBTILIS  
**JOAN. DUNS SCOTI,**  
Publicæ Concertationi  
expositæ.

In Conventu Oettingano FF. Minor,  
S. P. FRANCISCI Reformatorum,

PRÆSIDĒ

P. F. MATTHÆO MARÄSCH,  
ibidem SS. THEOLOGIÆ  
Lectore Ordinatio.

DEFENDENTIBUS

P. F. MARCELLIANO Stieger, } ejusdem Ordinis &  
P. F. BURGHARDO Steiner, } Studij Alumnis.  
F. CHRISTIANO Senft, }

*Ad diem 21. Mensis Augusti*

Anno M. DCC. XIII.

*3349* Cum Facultate Superiorum.

2458 Typis, GEORGII ABRAHAMI  
LICHENTHALERI.

M.V.P. Cacionatoris h[ab]entat[us] b[ea]t[us]

## Amice Lector:

P Ercurristi haud dubiè non minori  
voluptate. quam tua utilitate reso-  
lutiones illas Theologicas, quas aliquot  
ab hinc annis Doctissimus quidam Sco-  
list a Lucis publica fecit. Modum hunc  
tamet si assequi non detur à longe ta-  
men, Et passus ut ut impari, sequi li-  
cebit, quia apprimè proficuum. Tu  
Incipientis conatus aqui bonique consu-  
le, Et si moralia ad palatum tuum non  
sint, speculativa ex Parergis felige,  
Et vale.



## QUÆTIO UNICA.

*Ad quos pertineat SS. Eucharistia  
dispensatio?*

### §. 1.

*Ponuntur Resolutiones.*



Uppono I. ex Scoto 4. *Difst. 13.*  
q. 2. tanquam certum, Euchariſtia confectionem pertinere ad solos Sacerdotes ritè ordinatos, ita, ut hi soli validè consecrent. Constat hoc tum ex communī sensu & perpetua traditione Ecclesiæ, tum ex definitione à diversis Conciliis facta, ut Nicæno I. Lateran. Florent. & novissimè Trident Sess. 22. cap. 1. tum Author. plurium SS. PP. ea propter Sacerdotium mire extollentium; tum ratione Theologica: nam potestas conficiendi Eucharistiam debet provenire ex concessione Christi; sed nullibi legitur, quod ea omnibus promiscuè fuerit data, sed tantum Apostolis, quibus tanquam Presbyteris Luc. 22. à Christo dictum est: *hoc facite in meam*

*commemorationem*: Ergo solis Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus hæc potestas convenit. Nec est, qui contra caput erigat, nisi quod hæreticæ pravitatis veneno intumescentes quidam non minus imprudenter, quam impudenter afferere audeant, omnes Christianos esse Sacerdotes, & pollere potestate conficiendi, et si cā ad vitandam nimiam confusionem uti non debeant, nisi à Communitate (alibi nonnunquam à Nobilissā, Comitissā, aut Principe fœmina) sint deputati. Imò Lutherus eo usque dementiæ progressus est, ut teste Bellarmin. L. 4. de Eucbar. cap. 16. dicere non erubesceret, *L. de Missa privata & Unctione Sacerdotum* etiam à dæmone confici posse verum Eucharistiæ Sacramentum, quam blasphemiam utique à mendacissimo suo Pater & Magistro diabolo doctus est mendacissimus discipulus.

II. Suppono II. Etiam ab omni Sacerdote, adeoque hæretico, Excommunicato, irregulari, degradato &c. confici posse augustinum Sacramentum Eucharistiæ, dummodo essentialia applicet. Patet hoc denuo tum ex universali consensu Ecclesiæ, tum Conc. Trident. variis in locis docente, nunquam amitti characterem Sacerdotii; atqui quamdiu hic manet in præsenti vitâ, tamdiu est in Ministro potestas validè consecrandi: Ergo. Ceterum si censuratus vel ab officio sacer-

( o )

sacerdotali suspensus conficiat Eucharistiam,  
haud dubiè graviter peccat, etsi etiam esset in  
statu gratiæ. Nec dicas: Episcopus dat po-  
testatem consecrandi: Ergo etiam potest illa-  
lam auferre. R. Enim dist, ant. dat prin-  
cipaliter neg. ant. ministerialiter tantum, seu  
quatenus Episcopus est minister Christi Con-  
ant, quia igitur in hæretico, degradato &c, ma-  
nent characteris Ordinis tanquam signum inde-  
lebile, hinc & ipsa potestas in Corpus Christi  
verum manere censenda est. H. S. queri-  
tur, penes quem sit potestas dispensandi aliis  
SS. Eucharistiam? pro cuius resolutione.

III. Dico I. Ordinaria potestas & authori-  
tas dispensandi hoc Sacramentum jure divino  
ita est sacerdotibus concessa, ut nullis aliis  
inferioribus pari jure competit. Ita commu-  
niter DD. Prob. ex illo cit. textu Luc. 22.  
*Hoc facite in meam commemorationem.* Qui-  
bus verbis Christus sicut consecrationem cor-  
poris sui principaliter commisit Apostolis,  
eorumque in sacerdotio successoribus, sic  
etiam ejusdem distributionem, quasi dixisset:  
*Actis Deo gratiis Corpus meum conservate,*  
aliisque distribuite. Idem colligitur ex hy-  
mno Ecclesiæ: *cujus (scilicet Sacrificii) offi-*  
*cium committi voluit solis Presbyteris, quibus*  
*sic congruit, ut sumant, & dent ceteris.* Unde  
Trident. sess. 13. c. 8. inquit: *Semper in Eccle-*  
*sia Dei mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus commu-*

nionem acciperent, qui mos tanquam ex tradizione Apostolica descendens, jure ac meritò restringeri debet. Congruentia est, quia decens erat, ut qui potestatem accipiebant super Corpus Christi verum in conficiendo, etiam acciperent super Corpus Christi mysticum, id est, Ecclesiam, in dispensando. Item, sicut Sacerdotis inter Deum & homines mediis est dona & vota populi Deo offerre, ita etiam dona divinitus sanctificata populo tradere.

IV. Dico II. Eucharistiae dispensandæ officium non sic soli sacerdoti Christus commisit, ut dispensationem aliis committiprobhibuerit; quare sacerdote justâ de causa committente potest illam dispensare Diaconus. Ita cum communi Bosco *Disp. 4. de Euchar. Sect. 12. n. 22.* Prob. ex antiqua praxi Ecclesiæ, quam significat S. Laurentius loquens ad Sextum Pontificem in hæc verba: *Experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominicis sanguinis dispensationem.* Et quamvis dispensatio sanguinis ob certas rationes diaconis fortasse committeretur frequenter, attamen quod etiam frequenter commissa eis fuerit dispensatio corporis Christi, testis est Justinus Martyr. *Apolog. 2. pro Christianis* in fine. Idque expressè statuit Conc. Carthaginense IV. cap. 38. dicens: *Ut Diaconus presente Presbytero Eucharistiam*

*Cor.*

*Corporis Christi populo ( si necessitas cogat ) ius-  
sus eroget. Ex quo*

V. Colliges, debere semper adesse necessitatem, ad hoc, ut fiat Diacono commissio distribuendi Eucharistiam, quæ tamen necessitas non debet adeò esse gravis, sed sufficit causa notabilis prudenter dijudicanda E. g. ex parte sacerdotis infirmitas, occupatio etiam in confessionibus, Concione &c. ex parte ipsorum Communicantium impletio anni præcepti, Jubilæum &c. Imò in extrema necessitate, si sacerdos non valeat, aut irrationaliter non velit ministrare Viaticum, poterit hoc facere Diaconus etiam sine mandato sacerdotis ex præsumpta facultate Juris, sive Episcopi, aut Papæ.

VI. Dices: In aliis Sacramentis videmus observari, ut nemo illa ministret, nisi qui simul conficiat: Ergo, quia Diaconus non potest Sacramentum Eucharistie confidere, nec poterit illud ministrare. R. Neg. Conf. & parit. Disparitas est quia in aliis Sacramentis non distinguitur usus ab ipso Sacramento, & ideo cui datum non est, ut possit confidere Sacramentum, eidem prohibitum est, ne possit illud dispensare. At in hoc Sacramento effectio & collatio Sacramenti sunt res distinctæ, & separabiles, & ideo non est necesse, ut cui data non est potestas conficiendi, sit semper prohibita dispensatio.

VII. Dico III. Tametsi Clericis Diaconi  
nō inferioribus, & à fortiori Laicis non possit  
ordinariè committi dispensatio hujus Sacra-  
menti, nihilominus tamen in articulo mor-  
tis deficiente Sacerdote & Diacono posse et-  
iam Laicum, seclusò Scandalò, porrigerere via-  
ticum, nec jure divino & humano prohibi-  
tum est. Ita post Suarez, Layman, Diana,  
Gobat, Dicastillo, P. Sporer *Theol. sacram. part.*  
*2. cap. 5. n. 308.* Bosco *cit. n. 30.* Prima pars  
est certa tum ex communi usu & praxi Eccle-  
siaz, tum ex can. *pervenit de Consecr. dist. 2.* id  
severè prohibente. Secunda pars similiter  
constat; quia jure divino Laicis, multò mi-  
nus Subdiaconis non interdictur contrecta-  
cio, & administratio hujus Sacramenti; Hoc  
enim usitatum erat antiquitus apud fideles.  
Sic teste Eusebio *lib. 6. Histor. cap. 36.* Presby-  
ter quidam infirmus misit particulam conse-  
cratam ad Scapionem senem moribundum  
per puerum, è cuius manibus juxta Presbyteri  
mandatum illam sumpsit. Similiter S. Gre-  
gor. *homil. 40. in Evang.* refert, quòd S. Romu-  
la in extremis **Communionem** accepit à  
Redempta Magistra sua. Hinc etiam olim si-  
deles accipiebant Eucharistiam de manu Sa-  
cerdotis, cámque secum domum deportabant,  
ut congruenti tempore propriis manibus  
eam sumerent. Ergo ex jure divino non ha-  
betur ulla prohibitio.

VIII. Tertia pars etiam prob. Si esset prohibitum jure humano, vel maximè prohiberetur cit. can. *pervenit*; hoc non: ergo, p. min. ibi non sit sermo de casu extremæ necessitatis: ergo. ant. p. ex verbis canonis: *Quod quidam Presbyteri in tantum parvi pendant divinam mysteria, ut Laico, vel fœminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, &c.* ergo non ex necessitate, sed potius ex contemptu quodam, & quidem, dum ipsi possent Presbyteri, ex negligentia tamen utique horribili & detestabili passim Laico aut fœminæ sacrum corpus tradebant ad deferendum infirmis. Dixi notanter *seclusō scandalo*: Quia præceptum de cavendo scandalō fortius ligat, quam præceptum de sumendo viatico. Præfatis tamen omnibus non obstantibus, & licet nullum clarum jus id prohibeat, nihilominus

IX. Dico IV. Probabilius mihi videtur, neque in extrema necessitate id licere Laico vel Clericis Diaconō inferioribus. Ita Doct. Subt. *in Report. dist. 13. q. 2. n. 4.* Claudio Frassen *tom. 4. tr. 2. Disp. I. art. 3. Sect. 1. q. 2. n. 9.* Bonacina cum aliis à se cit. *de sacr. Euchar.* *disp. 4. q. 5. p. 1. n. 6.* P. 1. auth. Scoti cit. ibi, *Ad aliud dico, quod in duobus casibus posset Diaconus dispensare Corpus Christi & sanguine.* ut quando præcipitur libri ab Episcopo vel Presbitero, qui non possunt ad hoc accedere, vel ab ali-

quo existente in periculo mortis absente Sacerdote; sed Laicus ex nulla NB. necessitate potest tangere, (id est, ut Bosco ipse loc. cit. n. 38. licet quoad hoc adversarius explicat, dispensare) *Corpus Christi in quocunque casu*: ergo in via Scoti videtur tenenda hæc conclusio.

X. Prob. II. Ex universali Ecclesiæ consuetudine, quæ hodie videtur legitimè præscripta: Etsi enim non raro accidat, præsertim ubi parochiæ latè patent, vel ubi est unus tantum Sacerdos, aliquos mori absque Vatico propter absentiam Parochi; tamen à multis sæculis nunquam audivimus, Laicum Communionem moribundo administrâsse: ergo propter consuetudinem usque adeò contraria id probabilius non licet: Imò fortè nec unquam sine scandalo practicari posset; adhibe enim cautelas, quas volueris, & di tamen plebi plerumque in opinione, quam longo & immemoriali penè usu didicit, obstinationi vix aut ne vix quidem contrarium persuadebis. Confirmatur: Sacerdos ut se ipsum vel alium in articulo mortis communiceret, non potest celebrare sine vestibus sacris, ut contra Majorem habet communis: ergo nec Laicus potest administrare Sacramentum Eucharistie alteri etiam in articulo mortis. p. cons. ideo prius non licet, quia hoc Sacramentum tunc non potest administrari secundum ritum, & consuetudinem Eccle-

Ecclesiæ ( quo tantum modō currere præceptum sumendi Viatici dicemus infra casu ij. ) sed etiam in hoc casu taliter administrari non posset: ergo. Unde in hoc passu debet præponderare reverentia huic Sacramento debita, præsertim quia tantæ necessitatis non est.

XI. Ob. In casu necessitatis dum S. Hostia timetur vg. conculcanda ab hæreticis, comburenda ex incendio exorto, potest Laius tabernaculum aperire, se ipsum communicare, aut si plures hostiæ sint, quæcumque ipse met absumere valeat, aliis etiam dare: ergo id etiam licebit in tali casu necessitatis. Confirmatur exemplô nunquam satis dilaudandæ Reginæ Angliæ Mariæ Stuart, quæ se ipsam, antequam mortem subiret, communicavit, q. ad arg. neg. cons. disparitas est, quia in illis casibus præcavetur major irreverentia SS. Hostiis inferenda; at in casu conclus. nulla imminet irreverentia Eucharistizæ, imò propter administrationem insolitam potius committeretur. Ad Conf. dico, factum id esse ex dispensatione Pii V. Summi & sancti Pontificis, ut Regina illa adversus impiæ Elisabethæ Anglicæ Reginæ tyrannidem & crudelitatem sacrò divinæ Communionis clypeo sese præmunire posset, ut post alios plures attestatur noster Frassen cit. num. 10. Cæterum quia diversi casus occur-

rere

rere possunt, in quibus dubitatur, an Sacerdos teneatur vel possit ministrare Deum Eucharisticum, hinc pro nonnullis ponitur.

## §. II.

*Resolvuntur aliqui casus de Ministro dispensante SS. Eucharistiam.*

## Casus I.

XII. ARNULPHUS in publico quodam studio Professor tempore feriarum autumnalium curam locò Parochi absentis exerceat in vicino pago. Rescit id studiosus aliquis suo huic Professori multum infensus; quare illic egressus sedentem pro sacro tribunali accedit Arnulphum, simulataque confessione nil nisi convitia in eum evomit, inde verò ex confessionali discedens ad cratem communicantium genuflectit, suscepturus cum aliis ab Arnulpho paulò post populum communicatuero SS. Eucharistiam. Anne hanc eidem præbere tenetur Arnulphus utpote nullo ex confessione simulata arctatus sigillo? *¶* Affirmative. Ita Bonacina *Disp. I. de Sacram. q. 6. p. 4. n. 5. & 6.* Herincx *Tract. de Sacram. Disp. 3. q. 6. n. 62.* Sporer *Theol. Sacram. p. 1. cap. 3. sect. 5. n. 186.* Estque communis,

munis, & habetur expressè in c. si Sacerdos de officio judicis ordin. P. i. tum auth. Ritual. Rom. tit. de Sacram. Euchar. ubi hæc habentur: *Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem NB. si publicè petant, & sine scandalo eos praterire nequeat.* Tum ex facto ipsius Christi Domini, qui Judam à communione sui Corporis & sanguinis non repulit.

XIII. P. 2. ratione. Non potest committi peccatum ab uno, ut impediatur peccatum alterius; sed si negaretur in hoc casu Sacramentum Eucharistiae, committeretur peccatum à negante, ut impediretur peccatum alterius; ergo negari non potest. p. min. infamare alterum est committere peccatum, & quidem contra jus naturale; sed si huic studio negaretur Eucharistia, infamaretur: ergo committeretur peccatum à negante. min. patet, quia aliis unà genuflexis & præsentibus ex tali negatione hujus studiosi patficeret indignitas.

XIV. Nec dicas: præceptum Religionis de non indignè tractando Sacramento est majus, quam præceptum non infamandi proximum: Ergò in concursu utriusque illud erit observandum. p. Enim dist. ant. Est majus, quatenus currit de nobiliori virtute. & versatur circa præstantissimum objecto. con. ant. quo ad obligationem neg. ant. test. sigillo

de ut bene advertit noster P. Bosco *disp. 1. de Sacram. in genere sect. 7. de Minist. Sacram. n. 208.* Obligatio Justitiæ quandòque præponderare potest præcepto Religionis.

## II.

XV. CYRION prædivitis Babylæ confessionem excipit, ac eundem gravissimè ad restitutionem teneri advertens, obligationis suæ diu multumque frustra commonefacit, unde tandem sine absolutione dimittit. Exacerbatus hac absolutionis denegatione Babylas, jamjam in pejus ruens, extra confessionale petit sibi à Cyrione administrari SS. Eucharistiam, & quidem cum nullus alias in Ecclesia præsens fuerit, etiam privatim. Anxiatur plurimum Cyrion dubitans, an sic impiè petentem teneatur repellere, & uti possit sigillò confessionis, an verò uti non possit, & consequenter nec repellere?

XVI. Fateor dubium hoc passim ab Authoribus nominatim à Sanchez, Tamburino & Bosco vocari molestissimum. Et quidem affirmativam tenent plerique DD. ( quorum ultra 30. recenset Sanchez *lib. 3. Matrim. disp. 16. q. 1.*) attamen præplacet negativa, quam docet cit. Sanchez *n. 4. & q. 3. n. 14. Laym. L. 5. tract. 6. c. 14. n. 22.* Tambur. *opus scul.*

*Scul. de Confess. L. 5. c. 6. §. 2. n. 7.* Gobat.  
*in Alphab. confess. n. 894.* Herincx *de Sacram.*  
*T. 4. disp. 8. q. 5. n. 46.* Et ex Coninck, Ca-  
 stropalao & Diana, Sporer *Theol. Sacram.* p. 3.  
*cap. 7. n. 869.* Ratio est, quia sigillum con-  
 fessionis obligat non tantum in ordine ad ali-  
 os, sed etiam in ordine ad poenitentem, ne  
 ei peccatum ex sola confessione cognitum ex-  
 probretur, vel quovis modo ei invito revoce-  
 tur in memoriam; atqui hoc fieret, si Cyrion  
 hunc Babylam repelleret à susceptione sacra-  
 menti: Ergo repellere non potest. Maj. vi-  
 detur certa, estque fundamentum eorum,  
 qui nobiscum sentiunt. min. prob. si taliter  
 repelleret, tacitè exprobraret Babylæ indi-  
 gnitatem sibi ex sola confessione cognitam;  
 sed posterius facere non potest: ergo nec  
 prius.

XVII. Dices I. Sacerdos ratione sigilli so-  
 lùm obligatur, ut ea, quæ ex confessione co-  
 gnovit, tecta & secreta conservet; atqui Sacer-  
 dos alicui occultè denegando SS. Eucharistiam  
 nemini revelat aliquid ex confessione: ergo  
 denegare potest. Secundò, quando ex con-  
 fessione vel sacerdos scit, vinum venenò esse  
 infectum, vel superior novit, per januam ali-  
 quem subditum furtivè exire ad peccandum,  
 tunc ille potest non celebrare, & iste seram  
 januæ mutare, ut exemplificat Coninck *disp.*  
*9. dub. 4.* ergo etiam ille sacerdos uti potest  
 sigillo

sigillō, & sic denegare Sacramentum Eucha-  
ristiæ indigno Babylæ. R. ad I. dist. M. ut  
ea conservet secreta respectu aliorum tantum  
n. M. respectu aliorum principaliter, simul  
tamen, ut nec ipsi pœnitenti etiam soli pro-  
pter notitiam illam fiat actus ingratus c. M.  
& dist. min. & nec ipsi pœnitenti actum in-  
gratum exhibet neg. min. ita ut exhibeat, sci-  
licet exprobrandò indignatatem c. min. &  
neg. cons. Ad secundum conc. ant. neg. cons.  
disparitas est, quia actus posterior seu negatio  
Eucharistiæ directè & merè versatur circa  
pœnitentem, actus verò priores, quamvis ali-  
qualiter currant contra pœnitentem, nec ta-  
men merè, nec directè.

### III.

XVIII. ELPIDIUS Presbyter tanto  
fervore in vitia carnis invehitur, ut Crispus  
publicus concubinarius tandem permotus,  
post concionem eundem ad sacristiam sequar-  
tur, depositaque inter uberes lacrymas dolo-  
rosâ confessione concubinam quantocyus se-  
se ejecitrum sanctè promittat. Absolvitur  
equidem, at dum insuper idem Crispus tum  
ex sincera devotione, tum in hujus suæ opti-  
mæ voluntatis & propositi contestationem  
Sacram petit Synaxim ; querit Elpidius, an  
hanc sic verè contrito quantocyus & publicè  
admi-

administrare queat? Videtur quod sic: tum quia c. non prohibeat. de conf. diff. 2. habetur: *Non prohibeat dispensator manducare pinguis terra* ( id est, peccatores, ut exponit D. Thomas p. 3. q. 80. art. 6. ) in mensa Domini. Tum quia idem D. Thomas L. cit. ex S. August. dicit: *post pœnitentiam & reconciliacionem etiam publicis peccatoribus non est Communionio neganda.*

XIX. q. tamen, quod non; sed debeat prius ejicere concubinam, & inde primùm possit publicè ad sacram Communionem admitti. Ita ex Navarro Bassæus verbô *concubinariæ*. n. 7. Layman L. 5. tr. 6. cap. 4. n. 10. ad finem. Suarez de Euch. disp. 07. sect. 2. §. inquiri autem. Ratio paucis datur hæc. Permanens in scandalo publico saltem publicè ad Eucharistiam admitti non potest; sed Crispus in hoc casu adhuc permanet in scandalo publico: Ergo, min. est certa; quia utut occulte pœnituerit, imò etiam sacramentaliter sit absolutus, attamen adhuc publicè scitur asservare in domo concubinam. Maj. autem fundatur in ordinatione Rit. Rom. tit. de SS. Euchar. Sacram. ubi hæc habentur: *Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestèque infames, ut meretrices, concubinarii, fæneratores, nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalos satisfecerint.* Cùm igitur

igitur nec de emendatione Crispi publicè constet, nee publico scandalo, ejiciendo concubinam hucusque satisfecisse supponatur, omnino à S. Communione arceri debet.

**XX.** Nec obstant, quæ n. 18. opponebantur; & quidem ad Can. cit. dico, illum vel intelligi debere de peccatoribus occultis, solique Sacerdoti notis, vel si de publicis, tunc supponit pro illis, qui publicè amotò jamjam scandalò egere pœnitentiam, quo ultimò modò etiam intelligendus venit D. Thomas. Cæterum pro praxi potest Crispo sic optimè disposito spiritualis consolationis causâ digi, ut exspectet, donec vel omnes alii ab Ecclesia recesserint, vel saltem pauci fortè remanentes edoceantur de illius pœnitentia. Similis publicatio pœnitentiæ ad evitandum scandalum omnino fieri debet, si publicus peccator E. g. concubinarius, meretrix publica &c. in articulo mortis resipiscens post receptam absolutionem Sacramentalem S. petat Vaticum, ut notat Tamb. opusc. de S. Commun. cap. 6. §. 3. n. 24.

#### IV.

**XXI.** GALLUS urbis cuiusdam est Parochus; quia verò milites præfidiarii illius loci frequenter cum hoste vicino congreguntur, idque ipsum denuo accidit eo tempore,

pore, quo prædicta civitas interdicta eit ab Episcopo; hinc quærerit Gallus, an his militibus rursus ad pugnam ituris SS. Eucharistia ministrari possit? Ante Respons. nota, quòd interdictum locale sit *censura Ecclesiastica prohibens in aliquo loco usum tam activum, quam passivum Divinorum officiorum, quorundam Sacramentorum, & sepultura Ecclesiastica.* Dicitur autem notanter *quorundam Sacramentorum*, quia, ut advertit P. Anacletus Theol. moral. tr. 13. dist. 2. n. 100. tempore interdicti localis non prohibetur administratio & receptio omnium Sacramentorum, sed aliorum duntaxat, scilicet extremæ unctio-nis, Ordinis, & extra articulum mortis Eucha-ristiæ. Et quidem correctō antiquō Jus no-vum c. *Alma Mater, de Sent. Excom.* in 6. con-cedit, Sacramentum Pœnitentiæ tempore in-terdicti non solum morientibus, sed etiam sanis ( dummodò non fuerint excommuni-ti, nec sint in causa culpabili, ob quam latum est interdictum ) licetē administrari. His sup. ad dubium

**XXII.** q. Affirmativè. Ita Diana p. 12. tr. de Collocut. Res. 33. Navarrus in manual. cap. 27. n. 178. Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. Concl. 4. & priores citans ac sequens P. Schiara Cler. Regul. Tom. I. Theol. bellicæ. Romæ 1702. impressæ L. 4. diffic. 35. Prob. juxta cap. quod in te. de pœnit. & remiss. conceditur infirmis

in probabili mortis periculo etiam tempore interdicti Eucharistia per modum Viatici: ergo etiam concedi debet his militibus. p. Cons. milites proficiscentes ad pugnam subcunt probabile periculum mortis; sed ob hoc Eucharistia per modum Viatici conceditur infirmis: ergo etiam concedi debet talibus militibus. Et ob hanc rationem ait Herincx *de Euch.* disp. 6. q. 5. n. 50. Item Bosco de eadem sect. 9. Concl. 5. n. 50. milites inituros periculofum conflictum obligari ad communicandum, ut sic satisfaciant præcepto defuscienda sacrâ Communione in articulo mortis, quamquam hodie consuetudo sit in contrarium. Ex his

XXIII. Infero I. tempore interdicti feminæ partui vicinæ, dum primâ vice est partitura, vel si alias peperit cum periculo; item damnatis ad mortem, sicut & fuscipientibus periculosam navigationem posse præberi SS. Eucharistiæ Sacramentum, semper tamen per modum Viatici. Ita Sayrus L. 5. cap. 7. n. 18. Suarez disp. 23. sect. 2. n. 29. & cum Bonacina de interdicto plures alii. Infero II. quando codem interdicti tempore sacerdos defert Eucharistiam ad infirmos, eum id facere posse cum consueta solemnitate, id est, cum luminaribus, sono campanæ, cum recitatione hymnorum, psalmorum &c. cum apparatu Sacerdotali, & Christi fideli-

bus

bus cum Luminaribus SS. Venerabile comitantibus. Ratio est, tum quia hujusmodi hymni &c. non recitantur per modum Divini officii, sed ad modum Divinæ laudis, quâ populus excitatur ad comitandum, & venerandum Venerabile; tum quia, quando aliquid in Jure permittitur, tunc intelligitur permisum, prout Jura disponunt, vel usus, & consuetudo observat: Ergò cùm simpliciter permissa sit infirmis Eucharistia, intelligitur permissa secundum formam usumque consuetum. Ita Schiara L. cit. n. 15. Bonac. tr. de Cens. disp. s. punct. 3. §. 2. n. 1. Finaliter tamen nota, hoc licere Gallo, si ipse interdicto speciale causam non dederit; secus enim (saltem extra casum necessitatis) à tali ministerio ipse omnino abstinere deberet, vicésque suas alteri Sacerdoti non interdicto delegare,

## V.

**XXIV. JOVINUS** in diœcesi quadam generaliter interdicta agit Curatum; quoniam verò sub idem tempus paschalis recurrat solemnitas, hinc querit, an communicare possit eos, qui speciale interdicto causam non dedere, sive devotionis causâ id pellant, sive ad implendum annuæ Communio-  
nis præceptum? &c. Probabiliter posse. Ita

Illsung *Theol. moral.* tr. 7. disp. un. n. 66. & ex  
Suarez, Coninck, Filliuc. noster P. Herman  
tr. de censur. disp. 7. q. 9. n. 8. contra Bonacin.  
& plures alios. Ubi tamen ante prob. ad-  
verte, nomine Paschalis solemnitatis, vel fe-  
stivitatis non intelligi tantummodo primum  
diem, sed omnes tres, non tamen totam octa-  
vam; quia hoc communiter non accipitur  
pro festivitate. Ita quoad hoc cum Glossa  
in cit. cap. *Alma Mater.* verbo *assumptionis*  
Bonacin. de interd. disp. 5. pun. 4. n. 15. Q. N.

XX V. Prob. nostra Respons. In dicto cap.  
*Alma Mater.* admittuntur in festivitatibus  
Paschæ ad Divina officia etiam specialiter  
interdicti, & qui causam dederunt, dummo-  
do non communicent: Ergo alii, qui cau-  
sam non dederunt, poterunt etiam commu-  
nicare. prob. Conf. juxta commune dictum:  
*Exceptio firmat regulam in oppositum:* Ergo  
cùm à jure sòlùm ij prohibeantur appropin-  
quare altari, seu communicare, qui interdi-  
cto lato causam dedere, alii non eodem mo-  
do rei, censeri non debent prohibiti, præ-  
fertim cùm favores conveniat ampliari.

XX VI. Nec dicas cum Bonac. Euchari-  
stia non venit nomine Divinorum officio-  
rum: Ergo cùm à jure tantùm permittan-  
tur in festivitatibus Paschæ publicè & sole-  
mniter divina officia, non debet censeri per-  
missa participatio Eucharistia; cùm dispo-  
natum

situm in uno , non censeatur dispositum in alio. Nam & dist. ant. non venit expressè Con. ant. implicitè neg. ant. Etenim quamvis in sèpè cit cap. *Alma Mater.* expressè tantum concedatur participatio Sacrificii Missæ , per hoc tamen non abs ratione sub-intelligitur quòque susceptio S. Synaxis; Cùm antiquo more fideles Sacrificio assistentes , de eodem participare consueverint , vide- licet communicando , ut notat cit. P. Illsing. Ad additum dico , dispositum in uno non censi- feri dispositum in alio omnino disparatō , bene verò in connexionem habente , qualis connexio ex immediate antè dictis hic ha- betur. Cæterū pro praxi puto , standum consuetudini ; quod si nulla appareat intro- ducta consuetudo , jam alterutram ex dictis opinionibus sequi potes , & quidem ob ra- tionem n. 25. datam etiam in festivitatibus Nativitatis Domini , Pentecostes , & Assump- tionis B. V. Mariæ .

## VI.

XXVII. LUCANUS Sacerdos ausu per- quam sacrilego nedum in malo statu præ- sumpsit celebrare , sed insuper Agnum imma- culatum post missam compluribus dispen- savit ; queritur , quot peccatis se denuo de novo commaculārit ? Et quidem suppositō ,

quod nec ante sumptionem contritionem elicuerit, duplicitis peccati mortalis tum ratione indignæ Consecrationis, tum ratione sacrilegæ sumptionis præfatum Lucanum reum esse, certum est; solum in præsenti inquiritur, quid dicendum de SS. Sacramenti dispensatione in statu malo peractâ? ad quod p. I. non peccâsse graviter toties, quoties illa vice aliam, & aliam hostiam distribuit. Ita Marchantius tom. 3. Tribun. 1r. 3. tit. 4. q. 2. Concl. 2. & plurimi alii contra Coninck, Bonac. aliósqne. Ratio est, quia cōtus ille actus communicandi habet se per modum unius Convivii spiritualis, & ipsam met administratio Sacramenti censetur moraliter unum ministerium sacrum ex pluribus quasi actibus partialibus constitutum.

XXVIII. p. II. Probabilius eundem Lucanum sic indignè alios communicando semel mortaliter deliquisse. Ita cum Suarez Filiucio. Laym. Herman communior. P. tum author. Pontif. c. sciscitantibus 15. q. 8. de malis Sacerdotibus alios communicantibus pronuntiantis: quoniam mali bona administrando se tantummodo ladunt. &c. Tum author. Rit. Rom. tit. de iis, que in Sacrament. administ. generaliter observanda sunt: ubi de Sacerdotibus in malo statu administrantibus Sacraenta dicitur: Impure & indignè ea ministrantes in eterna mortis reatum incur-

*incurrunt: ergo debuerunt deliquerisse mortaliter. Tum ratione: primò, quia verè administrant Sacramentum, quod omnium est dignissimum; Secundò, quia ad hujusmodi administrationem tales Sacerdotes specialiter sunt consecrati: ergò malè administrando graviter peccant.*

**XXIX.** R. tamen tertio, oppositam sententiam, scilicet Lucanum graviter non peccasse, defendi à gravibus DD. signanter à Vassquez, de Lugo, Diana cit. à P. Sporer Theol. Sacram. p. 1. c. 3. sect. 2. n. 172. quos & ipse n. 174. & Tamburin. tr. de Sacram. in genere l. 1. c. 2. §. 3. n. 3. sequuntur. Nec caret sua probabilitate: etenim si peccaret graviter, foret ideo, quia Sacerdos administrans alia Sacra menta graviter peccat; sed ab aliis Sacramentis ad hoc non est facienda paritas; ergo ob hoc non peccat graviter. min. prob. Ideò Sacerdos indignè administrans alia Sacra menta peccat graviter, quia immediatè exercet actionem sacramentalem causativam gratiæ ex opere operato, & sic directè concurrit ad sanctificandum hominem (nam conferendo cætera sacramenta illa conficit) atqui hoc non contingit circa administrationem Eucharistie: ergò ad hoc sacramentum non est facienda paritas. min. prob. in hoc sacramento se tantum habet ut applicans activa passivis, & ut applicans sacramen-

tum jam aliàs existens sanctificativum hominis &c. ergo immediatè non exercet actionem sacramentalem , nec consequenter directè concurrit ad sanctificandum hominem.

**XXX.** Confirmatur I. cum P. Illsung *tr.*  
*6. disp. 1. n. 43.* si sacerdos in statu disgratiæ Eucharistiam solummodo manu attingeret, illam ex uno loco in alium transferret &c. nimis rigorosum esset dicere, talem peccatum mortaliter ; atqui sacerdos solummodo ministrans S. Eucharistiam , aliud nihil facit, quàm ut illam manu attingat, ad communicantem deferat, in ore illius reponat, qui cùm devotè & ad gloriam Dei, animæque suæ salutem illam recipiat, sacerdos minus indecentiæ videtur committere , quàm si quocunque alio loco reponeret : ergo ministrans tali modo Eucharistiam non peccat mortaliter. **Confirm. II.** Ex communiter recepto dogmate Doct. Angel. *in quodlit. 9.*  
*q. 7. a. 15.* dicentis: *periculose determinatur aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur:* quo sensu teste Gobath scripsit Germanus Theologus Gabriel Biel *in 4. dist. 15. art. 2. in fine,* incautum esse & malum, asserere aliquid esse peccatum mortale, quando non probatur sufficienti authoritate, velevidenti ratione.

**XXXI.** Nec usque adeo obstatre videntur ea,

ea, quæ n. 17. pro secundâ resp. fuere allegata: nam ad i. authores respondent verissimum esse, quod tales sibi noceant, suamque lèdant conscientiam; sed ex ipsis verbis generalibus colligi, nocumentum & lèssionem non semper esse gravem; alias Pontifex id ipsum expressisset: est ergo gravis, si per actionem sacramentalem immediatè causativam gratiæ administrant, levis, si per actionem aliam. Ad textum Rit. Rom. ajunt, intellegi debere non de ministratione dispensatoria Eucharistie, sed de consecratoria, ex quo patet resp. ad rat. 1. ad secundum dist. cons. peccaret graviter, si ejusmodi actiones actiones essent sacramentales, habentes vim conferendi & causandi gratiam immediatè, & per se ipsas, ac ex opere operato con. consecus, neg. cons. sicut enim, inquiunt, etiam in communiori sententia, quamvis Diaconus & Subdiaconus solemniter ministrent in suis officiis, ad quæ specialiter sunt ordinati, tamen non delinquunt mortaliter.

## VII.

**XXXII. NABOR** celebrat in Ecclesia filiali, ubi nec asservatur Venerab. Sacramentum, nec plures adsunt particulæ consecrabiles, quam unica hostia major; petit verò nonnemo sacram **Communionem**: quæritur

tur, an partem consecratæ suæ Hostiæ dare possit Nabor communicari volenti? R. ex rationabili causa posse. Ita post plures noster Herincx de Euchar. *disp. 5. n. 12.* Bosco de eadem *disp. 4. sect. 12. n. 62.* Bassus y. *Euchar. quoad ejus Ministrum.* Prob. partem hostiæ suæ dare alteri non obest integritati Sacrificii: ergo sic dare potest celebrans Nabor. ant. prob. in qualibet parte hostiæ tantum continetur, & sumitur, ac in tota hostia: ergo. Conf. ex facto ipsius Christi Domini, qui accepit panem benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis dicens? *Accipite, & comedite &c.* similiter accipiens calicem, & gratias agens dedit illis dicens: *Bibite ex hoc omnes.* Nec obstat consuetudo in contrarium; nam ut passim fatentur Autores, de ea non constat, quod habeat vim legis, graviterque obliget.

XXXIII. Dices: in Missali Rom. *de defectibus in ministerio ipso occurrentibus* habetur, quod, si sacerdos post consecrationem suam ita infirmetur, ut absolvere Missam amplius non possit, possit tamen adhuc communicare, & non ad similia Hostia consecrata, tunc sacerdos aliis idem Sacrum supplens debeat dividere hostiam, & unam partem præbere infirmo: Ergo id, quod nostra dicit resolutio imprimis tantum deficientibus aliis hostiis, dein in casu summæ necessitatis conceditur,

ditur. & con. ant. dist. conf. ita tamen ut alii casus & causæ rationabiles non excludantur, con. conf. cum exclusione harum, neg. I cons. itaque Rubricæ Missæ id solum resolvunt, quod fori sui erat, quin in aliis casibus idem concedere, vel prohibere intendant.

**XXXIV.** Cæterum notabile adhuc discrimen est circa alios casus, ac circa casum ex rubrica Missalis allatum; nam ad illa verba: *& non adsit alia Hostia consecrata*, subintelligi debet: *ab eodem Sacerdote infirmo*: tametsi enim asservarentur in tabernaculo aliæ ab alio Sacerdote consecratæ, adhuc tamen deberet participare de Hostia grandiori à se consecratâ, ut declarat Gavantus in *Rub. Miss. p. 3. tit. 10. n. 3.* At in aliis casibus, si aliæ adsint consecratæ particulæ, tunc non decet, de Hostia majori celebrantis dare partem communicare volenti. Porro causæ rationabiles, ob quas præter celebrantem etiam alii participare possunt de eadem hostia non tantum est periculum mortis (de quo non potest esse dubium) sed præceptum etiam Communionis, imò magna potentis devotio, si alia parva hostia commode haberi non potest, ut exemplificat L. cit. P. Bosco, & aliis etiam levioribus ex causis concedit Dicastillo hic *Disp. II. n. 117.*

## VIII.

XXXV. PROTHUS Parochiæ cujus-dam Rector inaudiit, Cajum loci illius civem apud Regulares S. Communionem Paschalem recepisse: quare eundem currente eodem tempore Paschali admoneri procurat, ut, si satisfacere velit præcepto Ecclesiæ de communione Paschali, resumat sacram Eucharistiam in propria Ecclesia Parochiali: quæritur, an reverè solus ille Prothus, vel alius de Ejus tamen licentia possit ministrare Cajo communionem Paschalem? *R.* affirmativè: unde Catus, ut satisfaciat præfacto præcepto Ecclesiastico, omnino debet è manu proprii Parochi, vel alterius de Ejus licentia sumere S. Synaxin. Ita Herincx p. 4. d. 6. de *Euc̄heristia* q. 4. n. 39. Gobat in *Theol. experim. tr. 4. casu. 5.* & post plures alios Bonacina de *Sacr. Euch.* d. 4. q. 7. p. 2. n. 7.

XXXVI. Prob. imprimis tum ex communi praxi & consuetudine Ecclesiæ, tum ex cap. *omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* ubi expressè jubetur, ut omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, saltem in Paschate Eucharisticae Sacramentum reverenter suscipiat à proprio Sacerdote: atqui proprius Sacerdos respectu hujus Cajū non est alius, quam proprius Parochus seu

*Pro-*

Prothus: ergo è manu hujus vel saltem alterius, de ejus tamen licentia tenetur suscipe-re in Paschate Eucharistiæ Sacramentum. min. prob. si esset alius, tunc deberet is ha-beri per speciale privilegium; sed talis non habetur, imò potius id omnibus est prohibi-tum; ergo. min. prob. & simul confirmatur Responsio ex declaratione Cardin. ad annum 1601. 21. Maji, in qua sequentia habentur: *Congregatio Concilii censuit, non satisfacere Ecclesia eum, qui SS. Eucharistia Sacramentum suscipit ante, vel post diem Paschatis non de manu Parochi, sed Regularium habentium à sede Apostolica privilegium ministrandi hoc Sacramentum, praterquam in die Paschatis: ergo nec per speciale privilegium aliquis alius præter proprium Parochum (nisi spe-cialiter Ejus licentia interveniat) potest Communionem Paschalem præbere, nec satisfit, si secus fiat, præcepto Ecclesiastico præinsinuato.*

XXXVII. Dices primò, Sacerdos satisfa-cit præcepto Communionis, quocunque in loco celebret tempore Paschatis: Ergo etiam fideles videntur satisfacere præcepto Com-munionis, quocunque in loco sumant Com-munionem tempore Paschali. Secundò cit. cap. *Omnis utriusq; sexūs, eodem modo præ-cipitur confessio, quo modo præcipitur com-munio Paschalis; sed proprio Sacerdoti etiam*

etiam tempore Paschali non tenetur quis  
confiteri: ergo nec ab eodem recipere Com-  
munionem Paschalem. min. prob. quia men-  
dicantes amplam habent potestatem quos-  
cunque ad se venientes absolvendi, etiam  
contradicente Parocho, ut declaravit Jo-  
annes XXII. in Extrav. *Vas electionis.* de hæ-  
reticis. Leo X. in Concil. Lateran. sess. 10;  
& in specie Clemens V. in Concil. Vienens,  
concessit, vel potius de novo confirmavit  
jam à Bonifacio VIII. concessum hoc pri-  
vilegium Fratribus minoribus, & Prædicat-  
prout habetur in Clement. *dudum.* de sepul-  
turis. & ad primum, neg. conf. & paritatem.  
disparitas est, quia præceptum Communican-  
di in propriâ Parochia ex recepta consuetu-  
dine extenditur solum ad eos, qui Euchari-  
stiam more laicali ab aliis recipiunt, non  
verò ad Sacerdotes, ut ex Henriquez &  
Em. Saâ. notavit Palao *punct.* 15. n. 10.  
Ad secundum dist. Maj. ita tamen, ut spe-  
cialia privilegia ex post facto concessa sint  
mendicantibus circa confessionem, con. M.  
quasi etiam talia extarent circa S. Commu-  
nionem, neg. M. omnino autem expediens  
videbatur, ut supremus Pastor, summus in-  
quam Pontifex id concederet circa confes-  
sionem, ne frequenter sacrilegæ, ac invali-  
dæ confessiones fierent ab iis, qui Parochis  
fortè in domesticis subsunt, & hinc ex dis-  
fiden-

fidentia, verecundia, aut timore sive servi-  
li, sive reverentiali plura peccata retice-  
rent.

**XXXVIII.** Ceterum ab hac obligatione  
communicandi scilicet in propria Ecclesia  
parochiali eximuntur peregrini, viatores,  
& vagi illi, qui extra propriam parochiam  
tunc existentes ad eam commode accedere  
non possunt: tales enim Communionem  
Paschalem, vel in parochia, in qua tunc de-  
gunt, recipere possunt, vel in Ecclesiis Regu-  
larium, ut habet Sanchez, Suarez, Lay-  
man, & Bassæus *y. Communio. n. 11.* Ratio  
est; quia per hoc nullo modo fit injuria  
Parochis, siquidem peregrini in loco, per  
quem transeunt, jus vel obligationem paro-  
chiæ non acquirunt, ad propriam autem  
parochiam ob distantiam accedere non pos-  
se supponitur. Idem dic de servitrialibus  
Religiosorum, qui degunt in Monasteriis,  
vel aliis locis à cura parochorum exemptis.

## IX.

**XXXIX. ROGATUS** Sacerdos Regu-  
laris in die Resurrectionis Dominicæ quas-  
dam personas sæculares devotionis gratia id-  
petentes communicavit, factâ prius suffi-  
cienti assecuratione, quod aut præcepto  
**Communionis paschalis** in propria Eccle-  
sia

sia jamjam satisfecerint , aut adhuc certò  
sint satisfacturi. Dubitatur amodo , an RO-  
GATUS id facere potuerit ? Respondetur  
probabile , & in praxi tutum esse , potuisse  
id facere. Ita Suarez tom. 3. in 3. p. d. 72. sect.  
2. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 56. Tambur.  
in opusc. de S. Commun. cap. 1. n. 48. Miran-  
da, Coninck, Sà, Fagund. Laym. Bonac.  
quos citatos vide apud Basiliūm Loc. cit. n.  
10.

XL. Prob. Exceptio inserta Privilegiis, in  
quibus conceditur Religiosis facultas Eucha-  
ristiæ administrandæ *praterquam*, vel ex-  
cepto die Paschatis, non est materialiter in-  
telligenda, pro primo tantum die Paschæ,  
seu Resurrectionis Domini , sed formaliter  
pro Communione Paschali , ergo posito,  
quod quis jam satisfecerit , vel adhuc satis-  
facere velit huic præcepto Communionis Pa-  
schalis, potest in Ecclesia Regularium ad-  
mitti ad S. Communionem die Resurrectio-  
nis Domini. ant. p. Pontifices per illam ex-  
ceptionem voluerunt favorem aliquem con-  
cedere Parochis, ut saltem ad minus semel  
in anno pascant per se , vel per alium à se  
deputatum proprias oves vivifico corpore  
Christi juxta cap. *omnis utriusque sexus.* dc  
Poenit. & Remiss. sed nullus , vel exiguis  
tantum foret favor , si intelligeretur illa  
dies materialiter : Ergo sic intelligi non de-  
bet.

bet. min. p. possent in tali die non velle communicare, & aliis diebus præcedentibus, vel subsequentibus apud religiosos præcepto satisfacere : Ergò.

XLI. Confirmat. nihil omnino Parochis adimitur, etiamsi parochiani eodem tempore paschali durante, imò ipso die Paschatis in alia Ecclesia Eucharistiam accipient, modò in parochia sua intra tempus Paschale quocunque demum die communicent: ergo. ant. p. quia sic Parochi sufficienter possunt cognoscere oves suas, & esse certi de suorum subditorum communione, quæ erat mens, ratio, & anima legis hoc in puncto à Pontifice latæ. Tandem id approbat communis, antiqua, & nunquam reprehensa praxis fidelium, se quām optimè, & religiosè facere existimantium, si devotionis causâ in alia Ecclesia, quam propriâ Parochiali in die Resurrectionis Domini sacræ mensæ accumbant, non requisitâ desuper licentia sui proprii Parochi. At

XLII. Objicies declarationem Cardinalium die 9. Julii, Aø. 1644. editam, vi cuius habetur Archiepiscopum Burdegalensem posse Regularibus prohibere, ut personis secularibus in die Paschatis non administrent SS. Eucharistia sacramentum, etiamsi dicta persona seculares in alia die satisficerint præcepto Ecclesie: ergo responsio nostra admitti

amplius non potest. R. Tamen neg. cons  
quia Cardinales, ut aliquid concederent  
Archiepiscopo, pro tunc secuti sunt senten-  
tiam probabilem Henriquez, Navarri &  
aliorum: Minimè tamen per hoc decretum  
voluerunt præjudicare contrariæ seu nostræ  
sententiaz, prout notat etiam hic Bosco,  
præfertim, quia Cardinales usi non sunt par-  
ticulâ debere, sed posse prohibere, scilicet  
juxta sententiam probabilem. Porrò si cer-  
tò constaret de declaratione S. Sedis factâ ad  
excipiendam tam Communionem pascha-  
lem, quam peragendam materialiter in die  
Paschæ, indubiè cum omni humilitate ei-  
dem standum foret, etiam absque promul-  
gatione; quia declarationes legum jam ab  
initio censentur legibus infuisse, ut habet  
*Anacl. tom. I. Jur. Can. in Proæm. 132.* In-  
terim bene fit, quod à Religiosis isto die Eu-  
charistia non exponatur publicè in Cibo-  
rio, nec passim distribuatur omnibus, ne ru-  
diores per errorem putent, se illo die in  
ipsorum Ecclesia posse satisfacere præcepto.

## X.

**XLIII.** TITUS à Parochiano suo Sem-  
pronio edoctus, quod propter grave quod-  
dam negotium in terris Acatholicorum indi-  
spensabiliter circa pascha pertractandum to-  
to

to illo tempore à Communione sumendâ sit impeditus , respondit eidem , non teneri Communionem anticipate sumere , teneri tamen post Pascha , quamprimum poterit . Responsumnè est benè ? & quod sic . Et quidem prima pars scilicet non teneri anticipare , est Suarezii , Filliucii , Bonac . Dianæ , Coninck , Bassæi cit . n . 15 . Ratio est , tum quia ante prædictum tempus Communio non obligat ; tum quia , qui prævidet , se ita impeditum iri in die festo , ut non possit Missam eo die audire , non tenetur anticipare : ergo neque tenetur anticipatè Communionem sumere , qui se prævidet impediendum in Paschate : tum quia si quis Eucharistiam sumpsisset antecedenti tempore , & postea tempore Paschatis posset communicare , teneretur adhuc communicare : ergo sequitur , non satisfecisse anticipando , & consequenter non teneri anticipatè sumere communionem . Secus dicendum de eo , qui in hebdomada sancta v . g . advertit , se non posse sequentibus diebus communicare ob superventura impedimenta : cum enim tunc temporis afficiatur obligationi præcepti , & possit illud adimplere , dicendum omnino est , teneri eâ hebdomadâ communicare . Item ut advertit Layman L . 5 . tr . 4 . c . 5 . n . 9 . aliter etiam discurrendum foret de illo , qui post ultimum Paschale tempus

nunquam communicässet totô annô ; talis enim si initiô quadragesimæ prævideret, se circa proximum Pascha impediendum, omnino tenetur prævenire, ne contra præceptum Ecclesiae ultra annum sacram communionem differat.

XLIV. Secunda pars est Herincx *de Eucharist. disp. 6. n. 44.* & aliorum; ac defumitur ex cap. cit. *omnis utriusque sexus*, ubi habentur hæc verba: *Semel saltem in anno confiteatur suscipiens reverenter ad minus in Paschate Eucharistie Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus NB.* ab hujusmodi perceptione duxerit abstinentium : Ergo expletô illo tempore communicare teneatur. Sed nunquid occasione hujus quæres, an etiam expleto Paschate adhuc communicare teneatur ille, qui sacram Communionem currente Paschali tempore culpabiliter omisit? Ratio dubitandi est, quia sæpè cit. cap. *omnis utriusque sexus*, & in Conc. Trident. sess. 13. can. 9. de Euchar. *saltem in Paschate præcipitur suscipi Eucharistie Sacramentum*, ac proinde videtur hoc præceptum esse affixum ipsi temporis Paschali, non minus ac præcepta festorum, jejuniorum, atque horarum canoniarum sunt affixa certis diebus : Ergo sicut hæc illis diebus culpabiliter omissa, non sunt necessariò

com-

compensanda aliis diebus, ita nec Communionio paschalis extra Paschale tempus. Ita Rodriq. Soto, Valentia, Præpositus, contra quos tamen.

X L V. Respond. cum Sylvestro, Layman, Gobat, Mastrio, Sanig. Herman, & communiori ac probabiliori adhuc talem teneri etiam elapsò præfato tempore ad Communionem. Ratio est, quia tempus Paschale tantum est objectum minus principale hujus Communionis præscriptum propter reverentiam festi, & in remembrancem Cœnæ Dominicæ, vel Sacrificii cruentî hoc tempore in ara crucis oblati: Objectum verò principale est intentio Ecclesiæ obligandi fideles ad sumendam Eucharistiam singulis saltem annis: Unde etsi cesset accessorium non tamen cessat principale; sicut qui obligatur solvere tributum ad diem S. Georgii, si tunc non solvat, postea, cum primùm potest, solvere cogitur. Et per hoc patet ad rationem dubitandi num. præced. allatam, quia dictæ obligationes ex fine principali sunt affixæ præscriptis diebus, non sic Communionio Paschalis.

## XI.

XL VI. WALERICUS Sacerdos amplius non jejonus rogatur, ut moribundum sacrō

Viatico præmunire velit ; accingit se is pio  
operi ocyus præstanto , at nullam amplius  
hostiam consecratam superesse deprehendit : quærerit ergo præfatus Walericus , an non  
jejunus possit legere Sacrum , & in eo con-  
ficeri SS. Eucharistiam ad communicandum  
moribundum ? Ante responsonem suppo-  
nendum , non esse dubium , Sacerdotem huic  
necessitati non prospicientem , atque longo  
tempore non asservantem pro infirmis pa-  
ratas hostias cum probabili periculo even-  
turae necessitatis graviter peccaturum contra  
*can. Presbyter. de conf. dist. 2.* eâ tamen nece-  
ssitate subortâ licere non jejuno celebrare  
Missam probabile judicant Filliucius , Di-  
castillo , Tambur. Suarez , Lugo , Escobar ,  
Diana ; & in casu necessitatis , quando per  
alia Sacmenta subveniri non posset infir-  
mo , concedit etiam Laym. *Theol. Mor. L. 5.*  
*tr. 4. c. 6. n. 21.* attamen extra hunc rarum ne-  
cessitatis casum .

**XLVII.** Respond. Probabilius à non jeju-  
no Sacerdote non potest celebrari sacrum , ut  
in eo conficiatur Viaticum pro moribun-  
do. Ita Herincx *tr. de Euchar. disp. 6. n. 63.*  
& post Navarrum , Sotum , Suarez , Vasquez ,  
Tanner. Coninck , Valent. Bonac. Gonet à  
se allegatos Illsfung *Theol. pract. tr. 6. disp. 4.*  
*n. 126.* P. Sacmentum Eucharistiæ est  
maximæ excellentiæ , & minoris neceſſi-  
tis :

tis: ergo id de Ejus confectione dicendum est, quod est de consuetudine Ecclesiæ; at qui consuetudo Ecclesiæ non permittit non jejuno Sacerdoti celebrare ad conficiendum pro moribundo Viaticum: ergo sic celebrare non potest. p. ant. si esset in casu posito alicujus necessitatis, esset, quia præceptum communicandi in articulo mortis est juris Divini; sed hæc ratio nulla est: ergo. min. prob. non præcipitur Communio, nisi quando reverenter & commodè potest accipi secundum ritum, & ordinem Ecclesiæ; sed in casu sic accipio non potest: ergo.

X L V I I I . Dices 1. Licet infirmo non jejuno communicare ad satisfaciendum præcepto de sumendo Viatico: ergo etiam licet Sacerdoti non jejuno celebrare ad communicandum infirmum. Secundò Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis potest absque prævia confessione, dum non habet copiam Sacerdotis, celebrare ad communicandum infirmum: ergo respond ad 1. dist. cons. si etiam Sacerdoti sicut infirmo suffragetur praxis Ecclesiæ conc. cons. secus neg. cons. dixi autem num. præced. consuetudinem Ecclesiæ esse contrariam. Ad 2. neg. cons. & parit. disparitas est, quia confessio suppletur per contritionem, at non jejunium.

## XII.

XLIX. ZOELLUS Parochus quemdam ex Parochianis suis de manè sacra Communione refecit; at à prandio hic ipfus ab inimico suo lethaliter vulneratur, & ita quidem, ut vix ullaspes affulgeat, eundem in sequentem diem supervicturum. Disponit se ad ultimum agonem optimè sauciatus, & repetitâ peccatorum suorum Exomologesi pro felici æternitatis aditu adhuc sanctissimo Eucharistiae Sacramento confortari anhelat. Quærit proin Zoëllus, an denuò eādam die id concedere possit, vel an infirmus ad hoc tenetur ob præceptum sumendi Viaticum? pro cuius ultima parte respond. I. contra Hurtadum *de Euchar. disp. II. diff.* 2. talem non teneri ad iteratam communionem. Ita contra paucos Herincx p. 4. *Theol. disp. 6. n. 49.* & communis.

L. P. Licet præcepto affixo certo tempore non possit satisfieri antecedenter E. g. die præcedenti audiendo Missam, jejunando, non tamen credibile est, legem sacri Viatici recipiendi affixam esse actuali periculo mortis tum, cùm finis ejusdem paulo antè est procuratus; sed id in proposito contingit: ergo. min. prob. tum, quia S. Synaxis est recepta jam in propinquitate & quasi articulo mortis

mortis, tum quia virtus Sacramenti se facile potuit extendere usque ad subsequens periculum: ergo. ant. quoad 2. membrum prob. & simul Conf. respons. 1. Cibus ille spiritu-  
lis ex præcepto Divino ita est necessarius dis-  
cedenti ex hac vita , quō modō ex naturali  
exigentia & quasi naturæ præcepto necessari-  
rius est cibus corporalis discessuro ex uno lo-  
co in alium valde distantem ; sed huic non  
est necesse sumere cibum corporalem in suo  
discessu, si eum paulò antè sumpfit: ergo  
nec illi, & consequenter se extendit ad sub-  
sequens periculum. Conf. 2. Si quid obsta-  
ret, esset, quia de manè nondum intendisset  
satisfacere præcepto de sumendo Viatico;  
hoc non obstat: ergo nihil. min. pr. qui sum-  
mo manè audit sacrum nec sciens esse diem  
festum, neque intendens satisfacere legi, ta-  
men eandam implet, nec tenetur, etsi id re-  
sciat ante meridiem , aliam audire Missam:  
ergo etiam in priori casu non obstat, etsi  
præcepto de sumendo Viatico non intende-  
rit satisfacere.

L I. Respond. 2. pro 1. parte probabile  
esse, quod Parochus in tali casu moribundo  
denuo eadem die concedere possit SS. Eucha-  
ristiam. Ita contra Lugonem . Tambur.  
Amicum & Bosco sentit Illsung Theol. moral.  
tr. 6. disp. 4. n. 124. Diana p. 10. tr. II, resolut.  
40. ubi plurimos citat, P. I. Auth. S. Vin-  
centi

centii Ferrerii serm. 2. de Assumpt. B. Virg. ubi teste nostro Bosco sic ait: *Secundus dies, est Communio: etiam si illa die celebraverit, adhuc est communicandum, hoc tamen non ex necessitate faciendum, sed congruitate.* P. 2. ratione: & primò quidem negatiyè: nulla obstat prohibitio: ergo. p. ant. si obstaret aliqua, esset ea, quæ colligitur ex cap. *consulisti* de Celebrat. Miss. & can. *sufficit*, de Consecrat. dist. i. sed hæc non obstat: ergo. min. pr. illa prohibitio non necessariò extenditur ad illum casum, quo SS. Eucharistia per modum Viatici, ac pro felici morte resumitur: ergo. ant. pr. nulla enim ibi articuli mortis, aut Viatici fit mentio, sed tantùm, ne Sacerdos celebret duas Missas, imò cit. cap. *consulisti*. etiam pro isto peccato excipitur causa necessitatis.

LII. P. 2. etiam positivè. Minùs rigorosa est lex semel tantùm in die communicandi, quàm lex jejunè, præsertim more laici, communicandi; sed hac lege non obstante S. Mater Ecclesia permittit S. Communione moribundo etiam non jejuno: ergo censenda est etiam permittere in eodem casu binam in die communionem. Maj. pr. ubi faciliùs dispensatur, ibi minùs rigorosa est lex; sed faciliùs dispensatur in lege bis communicandi, quàm non jejunè communicandi: ergo. min. pr. quia iterata Communio concedi-

ceditur non tantum, si ipsi Sacramento immi-  
 net periculum irreverentiae vg. ex incendiō,  
 ex incursu hostium &c. sed etiam si quis de-  
 beat pluribus Parochiis prospicere, etsi hoc  
 casu non liceat celebrare non jejuno. *Nec*  
*dicas*: vel satisfecit talis moribundus per pri-  
 mam Communionem præcepto Divino su-  
 mendi Viaticum, vel non satisfecit? Si non;  
 ergo tenetur, & debet, & non tantum potest:  
 Si satisfecit: ergo præceptum non commu-  
 nicandi bis in die manet in suo vigore. Resp.  
 enim satisfecisse: illatum dist. ergo præce-  
 ptum &c. manet in suo vigore, quatenus non  
 enervatur per aliud præceptum, con. quasi  
 non rationabiliter præsumeretur benignissi-  
 mam Matrem Ecclesiam; tum pro ingenti  
 consolatione, tum pro maxima utilitate hu-  
 jus moribundi id concedere in rerum articulo  
 omnium terribilium longè terribilissi-  
 mo, neg. illatum. Sed pro pleniori notitia  
 utique Petes I. quo die certò, & extra contro-  
 versiam liceat denuo sumere Eucharistiam  
 pro Viatico? Respond. altero, vel tertio die  
 ab ultima Communione id juxta omnes li-  
 cere, & vel maximè expedire, tametsi pro  
 tunc nondum sit obligato, quam incipere  
 putat Vasquez post octiduum ab ultima Com-  
 munione, Quintanadvennas autem post  
 quindecim dies. Petes secundò. an, qui se-  
 mel dignè communicavit pro articulo mor-  
 tis,

tis, & postea mortaliter peccavit, denuo tenetur repetere S. Viaticum? Respond. negativè. Ita post plures alios à fecit. Bonacinde *Sacram. Euchar. disp. 4. q. 7. p. I. n. 3.* Gobat *tr. 4. cas. 12. n. 188.* Petes tertio. an, qui in ejusmodi articulo mortis sacram Synaxin recepit, perseverante morbo, atque eodem periculo possit iterum ac sèpiùs communicari per modum Viatici? Respond. post alios Anacletus *Theol. Moral. tr. 10. Dist. 3. n. 35.* affirmativè, quia moriturus valde indiget hoc alimento animæ ad vincendas tentationes, tunc temporis frequentiores. Notat tamen Bassæus *Communio in sumar. 2. n. 45.* ex Suarez Reginaldo & aliis, fieri id debere post sex, septem vel octo dies, si fiat per modum Viatici, & à non jejunio.



# PARERGA

## *De Sacramentis in communi.*

### I.

**S**Acramentum ut sic bene describitur à Doct. subt. 4. D. 1. q. 2. quòd sit signum sensibile gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum ex institutione Divinâ efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis Viatoris. Defacto tamen

2. Statui Innocentiae nimis abbreviato nullum tale concedimus; an verò aliqua fuissent instituenda, si status ille felicissimus Adamò non peccante, perennasset, res equidem incerta est, & soli Deo, Cujus Consiliarius nemofuit, cognita, negativam tamen ut probabiliorem amplectimur.

3. In statu Legis naturæ fuit aliquod remedium institutum pro deletione peccati originalis, ac justificatione parvolorum; idque fuit Sacramentum propriè dictum, probabiliter consistens in aliquo signo externo, & sensibili, protestativo fidei in Messiam venturum.

4. In lege scripta præter remedium generale pro fœmellis remanens successit circumcisio, quæ contulit gratiam ex opere operato

rato fuitquè Sacramentum propriè dictum.  
Tandem

5. In lege nova septem esse Sacra-  
menta à JESU Christo instituta , videlicet , Baptis-  
mum , Confirmationem , Eucharistiam , Pœ-  
nitentiam , Extremam Unctionem , Ordin-  
em , & Matrimonium , de fide certum est  
ex Concilio Trident. sess. 7. Can. 1.

6. Solus Deus potest propriè , completem  
ac potestate authoritatis instituere Sacra-  
menta , ita ut hæc potestas nulli creaturæ pos-  
sit convenire.

7. Omnia Sacra-  
menta novæ legis perfi-  
ciuntur rebus tanquam materiâ , & verbis  
tanquam formâ formaliter , vel saltem æqui-  
valenter.

8. Quæ materia à Christo Domino est de-  
terminata , licet non æqualiter , & in infima  
specie respectu omnium Sacramentorum.

9. Eidem materiæ debitæ si forma appli-  
cetur cum intentione faciendi , quod facit  
Ecclesia , vel æquivalenti , tunc error pri-  
vatus Ministri non obest valori Sacra-  
menti , sive error ille sit internus , sive externus ,  
imo neque tunc , cùm minister intendit no-  
vum ritum inducere.

10. In nullo Sacramento ( excepto Sa-  
cramento Eucharistiæ ) ad valorem Sacra-  
menti requiritur simultas materiæ & formæ  
physica , nec adæquatè , nec inadæquatè talis ,  
sed

sed sufficit moralis, quæ spectatâ cujuslibet Sacramenti naturâ verè est talis.

11. Sola intentio materialis ponendi actum externum non sufficit ad valorem Sacramenti, sed requiritur omnino formalis saltem implicita; eaque in Ministro conficiente Sacramentum debet esse vel actualis, vel saltem virtualis. Unde

12. In tali Ministro pure habitualis non sufficit, sicut nec sufficit actualis conditio-  
nata de futuro ( si matrimonium excipias ) bene tamen de præterito vel præsenti.

13. Vi præsentis institutionis ordinarius Minister Sacramentorum est solus homo Viator rationis compos, et si extraordina-  
riè etiam aliis non viator, vel Angelus in assumpto corpore à Deo substitui posset.

14. Fides & probitas non requiruntur in Ministro ad valorem Sacramenti, bene vero se loquendo ad licitam administrationem Sacramentorum requiritur in Ministro spe-  
cialiter consecrato, & conficiente status gratiæ.

15. Ut adultus peccati mortalis sibi con-  
scius licet, & fructuosè recipiat Sacra-  
mentum mortuorum, debet saltem habere at-  
tritionem.

16. Idem suscipiens eodem modō consti-  
tutus, ut licet suscipiat Sacramentum Eu-  
charistie, debet præmittere Sacramentum

Pœnitentiæ , reliquis autem Sacramentis vivorum contritionem perfectam saltem existimatam.

17. Sacra menta causant gratiam ex opere operato , non quidem physicè , sed moraliter ; & quidem

18. Sacra menta solo numerò diversa in inæqualiter dispositis inæqualem , in æqualiter vero dispositis æqualem.

19. Sacra menta mortuorum seu Baptismus & Pœnitentia ex vi institutionis suæ & per se conferunt gratiam primam , Sacra menta vivorum vero gratiam secundam.

20. Nihilominus per accidens Sacra men ta mortuorum possunt conferre gratiam secundam , & Sacra menta vivorum gratiam primam.

21. Non tantum Baptismus , sed probabilius ( exceptâ Eucharistiâ ) omnia etiam reliqua Sacra menta validè , & infructuosè susceptibilia reviviscunt.

## De Sacra mentis Baptismi & Confirmationis.

22. Baptismus bene describitur dicendo , quod sit sacramentum nova legis consistens in ablu-

*ablutione hominis aliqualiter consentientis facta in aqua ab alio abluento, & in certis verbis simul ab eodem abluento debita cum intentione prolatis efficaciter significans ablutionem anima à peccatis.*

23. Non tamen sufficit ablutio per se occisiva baptizandi.

24. Ejus materia remota est omnis; & sela aqua naturalis, & elementaris, proxima vero ablutio physica.

25. Fuit equidem institutus ante Passionem Christi, nihilominus eo tempore necdum fuit medium necessarium ad salutem.

26. Forma Baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti:* quamvis si ly *Ego* omittatur, & loco verbi *Baptizo* æquivalens substituatur, adhuc validè non tamen licetè conferatur Baptismus.

27. Potest unus simul valide, & in casu necessitatis etiam licetè baptizare plures non tamen simul plures unum, ita, ut unus ponat materiam, & alter proferat formam.

28. Attamen si plures absque mutua ad invicem dependentia eundem hominem baptizent, quorum quilibet in eodem instanti abluit, & formam cum debita intentione pronuntiat, valet adhuc Baptismus.

29. Parvuli infidelium Christianis Principibus politicè subditorum de eorum Prin-

cipum consenſu, ſpectato jure naturæ, li-  
cetè baptizantur in vitiſ parentibus.

30. **Sacramentum Confirmationis** bene  
definitur, quod sit **Sacramentum**, quo homo  
viator baptizatus inunguitur in fronte  
ab Episcopo, cum Chryſmate, & præscriptâ  
verborum formâ ad fidei robur consequen-  
dum.

31. Probabiliter fuit institutum à Chi-  
ſto inchoativè in ultima Cœna, completivè  
verò post resurrectionem.

32. **Ordinarius Minister Confirmationis** est ſolus Episcopus: Extraordinarius ta-  
men potest eſſe ex commiſſione Summi Pon-  
tificis quilibet ſimplex Sacerdos.

## De Augustiſſimo Euchari- ſtiæ Sacramento,

33. **Eucharistia** definitur **Sacramentum**  
novæ legis ſub ſpecibus panis & vini post con-  
ſecrationem factam à Sacerdote ſub certis  
verbis cum debita intentione prolatis ex in-  
ſtitutione Divina efficaciter significans ac  
veraciter continens corpus & ſanguinem  
Christi.

34. Nec panis, nec vinum, nec verba con-  
ſecrationis, nec actio consecratoria ingre-  
diuntur eſſentiam Eucharistiæ; sed Hæc

36. Qua-

35. Quatenus est signum Gratiae subsistens consistit in solis speciebus consecratis panis, & vini, quas proin solas in recto importat; licet in oblique necessariò etiam corpus, & sanguinem Christi connotent.

36. Eucharistia est instituta à Christo Domino in ultima Cœna, & quidem ad Vesperam Lunæ decimæ quartæ Mensis Nisan, seu Martii, quâ panis fermentatus erat interdictus.

37. Materia apta consecrationis Corporis Christi est solus panis triticeus usualis, non necessariò azymus, sed etiam fermentatus.

38. Materia verò consecrationis sanguinis Christi est solum vinum de vite, cuius cunque dein sit speciei, cui ex præcepto Ecclesiastico, non Divino, admisceri debet paullam aquæ.

39. Probabilius tamen aqua non immediate convertitur in sanguinem Christi, sed tantum mediatè, quatenus nimirum priùs fuit conversa in vinum.

40. Forma Consecrationis Corporis Christi essentialiter consistit in solis his verbis: *Hoc est corpus meum*; Calicis verò, *Hic est Calix sanguinis mei*, vel æquivalentibus.

41. Verba utriusque Consecrationis à Sacerdote consecrante proferuntur tam significative quam recitative.

42. Pronomina demonstrativa *Hoc* & *Hic* in formis consecratoriis sumuntur non adjectivè, sed substantivè.

43. Corpus & Sanguis Christi verè realiter ponitur estquè præsens sub speciebus consecratis per veram transsubstantiationem, non quidem productivam, sed adductivam.

44. Etiam salvà veritate verborum consecrationis, potuisset per absolutam Dei potentiam remanere substantia panis sub accidentibus unà cum corpore Christi.

45. Etsi vi verborum sub speciebus ponatur solum corpus, sub speciebus vini verò solus sanguis Christi, concomitanter tamen tam sub his, quam sub illis continetur totus Christus cum Corpore, & Anima, Humanitate, ac Divinitate.

46. Inter species Consecratas, & Corpus Christi nulla intercedit unio Physica, sed moralis tantum, consistens in reali præsencia hujus in illis.

47. Corpus Christi ut in Sacramento existens nequit naturaliter loquendo ullam sensationem sive externam sive internam elicere.

48. Factâ conversione substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi utriusque accidentia secundum entitatem verè remanere contra quascunque operas


fas Atomistarum explicaciones constanter asserimus.


¶ Non plus gratiæ causat sub utraque specie , quæm sub unâ tantùm sumptum Eucharistiæ Sacramentum, pro cuius & reliquorum Sacramentorum institutione sit.

ChrIsto DoMIno perpeTVa LaVs  
honor & gLorla.



Stal d'or, collaté offert  
au Roi 13 cent.





57